SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica Kopernikańska w Toruniu
SCHULPROGRAMME

Q · B · F · F · F · Q · S

VIRO

DOCTISSIMO · HVMANISSIMO · CLARISSIMO

IOANNI · CHRISTIANO · FRIDERICO · CAMPE

PHILOSOPHIAE · DOCTORI

GYMNASII · GRYPHIMONTANI · DIRECTORI

PRAECEPTORI · POMERANIAE · INGENIOSISSIMO

MAGISTRO

DE · ADVLESCENTIBVS · LITTERIS · GRAECORVM · ET · ROMANORVM · IMBVENDIS

VNI · OMNIVM · OPTIME · MERITO

SENI

ANIMI · ALACRITATE · STVDIORVM · QVE · VBERTATE

FLORENTISSIMO

SVMMORVM · IN · PHILOSOPHIA · HONORVM

ET

MVNERVM · SCHOLASTICORVM

SOLLEMNIA · SEMISAECVLARIA

A · D · IIII · IDUS · MARTIAS · A · CIↃIↃCCCLXXXI

CELEBRANTI

DIRECTOR · ET · COLLEGAE · COLBERGENSES

CONGRATVLANTVR

COLBERGAE

TYPIS · IANCKIANIS

1881. Progr No. 103.

De Horatio philosopho.

Si eos locos, quibus Horatius de studiis suis philosophicis loquitur, contemplati erimus, reperiemus eum inprimis operam dedisse quaestionibus ethicis; dicit enim se adulescentem Athenis versatum esse, ut »posset curvo dinoscere rectum«; (Ep. II. 2. 44.) se juvenem in Sabino suo cum vicinis inquirere solitum esse, »utrum homines divitiis beati essent an virtute, quidve ad amicitias contrahendas magis valeret, usus rectumne, quae natura boni esset et quid summum bonum«; (Sat. II. 6. 71. sqq.) se grandiorem natu totum fuisse in exquirendo »quid verum et decens esset«, (Ep. I. 1. 10) temporaque sibi ingrata et tarda fluxisse, quae se impedirent, quominus philosophiae ethicae studeret. (Ep. I. 24/25.)

Sed quamquam praecipue ethicae causa Horatius in philosophiam incubuit, ut cognosceret, quomodo ad vitam beatam perveniretur — nam omnes quaestiones eo redeunt — tamen fieri non poterat, ut res physicas prorsus neglegeret, quippe quae saepe cum rebus ethicis arcte cohaererent; sed strictim tantum et quasi in transitu illas tetigit.

Quoniam ex eis, quae attulimus, perspicitur, Horatium per totam vitam philosophiae non solum ethicae, sed etiam physicae studiosum fuisse, quaestio oritur, quibus potissimum philosophis ille ducibus usus sit. Quae res jam saepenumero tractata est, sed tantum abest, ut omnes ad idem venerint, ut contra sint judicia prolata diversissima de Horatio philosopho.

Ac mea quidem sententia in hac quaestione duae solae sectae respiciendae sunt, Stoicorum et Epicureorum, nam earum tantum Horatius ipse rationem habet, earum tantum sententias profert et in examen vocat.

Etiam eo loco, quo ex professo de ea ratione loquitur, quam in studiis philosophicis sequi soleat, earum tantum sectarum mentionem facit; dicit enim Horatius:

Nunc agilis fio et mersor civilibus undis
Virtutis verae custos rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
Et mihi res, non me rebus subjungere conor. (Ep. I. 1. 16/19.)

Pertinent autem versus 16 et 17 ad Stoicos, qui cupiebant sectatores suos **πραχτικούς** fieri, »agiles«, et **„πολιτεύεσθαι“** »mersari civilibus undis«, qui virtutem veram informabant, quae propter se coleretur, qui rigidam et virilem sapientiam docebant; versus 18 et 19 non ad Aristippum solum, sed etiam ad ejus sectatorem Epicurum, nam Epicurus non minus quam Aristippus statuebat, in eo hominibus elaborandum esse, ut omnes res ad suam utilitatem referrent, »ut sibi res externas subjungerent«. —

Videamus igitur primum, quid senserit Horatius de Stoicis, quid de Epicureis. Ac si quis minus accurate carmina Horatii perlegerit, is facile sibi persuadebit poetam a Stoicis prorsus alienum esse, quod cum eis permultis locis cavillatur. Fabium Stoicum enim esse loquacem dicit (Sat I. 1. 14.) atque adulterum; (Sat I. 2. 134.) Crispinum lippum, id est ineptum; nam illud non solum ad corporis, verum etiam ad animi oculos referendum esse, quis est quin intellegat? (cf. Sat I. 1. 120).

Alio loco Crispini fertilitatem in scribendo irridet eumque provocat per jocum:

— »detur nobis locus, hora,
Custodes, videamus, uter plus scribere possit«. (Sat I. 4. 15.)

et cum Crispinus sibi, ut testantur scholiastae, cognomen ἀρεταλόγος comparasset — erant autem ἀρεταλόγοι ex infimo genere hominum, Stoicam fere vel cynicam disciplinam affectantes, ridendi materiam praebentes divitibus Romanis, qui animi causa eos circum se habere solebant — magis ridiculum fit, quod Horatius ineptum illum Stoicorum stipatorem concedit regi, ejusmodi scilicet, qui quadrante lavatum ibat.[1]) Eundem Stoicum Horatius in Sat. II. 7 perstringit, cum dicit janitorem ejus, qui declamationes domini semper audiverit, ipsum quoque semiphilosophum factum praecepta stoica a domino hausta cum aliis servis communicare. Neque Stertinius, qui ducentos viginti libros stoicos, ut testantur scholiastes Acron et commentator Cruquianus, conscripsisse dicitur, effugit jocum Horatii. Damasippum enim quendam non solum facit appellantem Stertinium »sapientem octavum« (Sat I. 3. 326) et de eo dicentem:

stultique prope omnes,
Si quid Stertinii veri crepat, unde ego mira
Descripsi praecepta haec,

sed etiam ipse eum verbis »Stertinium acumen« specie laudis maximopere vituperat. Stoicorum morem barbam promittendi, absurdam dicendi rationem, mirum quendam fervorem in disputando facete notat poeta in Damasippo, qui re male gesta in flumen se mittere volebat, servatus vero a Stertinio, philosophum agere coepit.

post quam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo
Excussus propriis. (Sat. II. 3. 18 sqq.)

Sed sicut Horatius ridiculas personas sectae stoicae vellicat, ita etiam mirabilia quaedam praecepta in risum vertit; velut ὅτι „πᾶς ἄφρων μαίνεται“ (Sat. II. 3.) ὅτι „μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος“ (Sat II. 7.) ὅτι „πάντα εὖ ποιεῖ ὁ σοφός“. (Sat I. 3. 124 sqq. Ep. I. 1. 106/108.) Vehementissime autem Horatius illud Stoicorum παράδοξον reprehendit: τὰ ἁμαρτήματα ἴσα εἶναι, οὐκέτι δ'ὅμοια.

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant
Dum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant.
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et aequi. (Sat I. 3. 97/99; 115.)

nam haec sententia sectatores Zenonis in diiudicandis hominum delictis severiores reddere solebat eaque de causa maxime Horatii indoli contraria erat summa clementia et benignitate praediti. Nihilo tamen secius ex eis rebus, quas attulimus, concludi non potest, Horatium Stoicos contemnere. Nam poeta, quamquam Fabium, Crispinum, Stertinium, Damasippum, alios id genus deridet, qui differebant ab hominibus perpolitis et cultis, tamen idem de excellentibus sectae stoicae viris summa cum admiratione loquitur. Panaetium enim, familiarem Scipioni Africano et Laelio, cognomine »nobilis« honestat et Catonem Uticensem in summis Romani populi viris numerat.

Romulum post hos prius an quietum
Pompili regnum memorem an superbos
Tarquini fasces dubito an Catonis
Nobile letum.
(C. I. 12. 32/36.)

eundemque his laudibus fere in caelum tollit:

---

[1]) D'Estrée prosopographeia horatiana p. 160.

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis. (C. II. 1. 21/24.)

Etiam Bruti, quo duce ipse tribunus militum fuit, obiter ille quidem, sed honorifice mentionem facit.

Neque ab omnibus Stoicorum »paradoxis« prorsus abhorret. Nam sicut Damasippus dicit, stultos esse, qui vitiis avaritiae, ambitionis, luxuriae, inconstantiae in amando, superstitionis, laborent, sic simili modo ex Horatii sententia vitiosi stulti sunt. »Virtus«, inquit (Ep. I. 1. 42/43.), »est vitium fugere et sapientia prima stultitia caruisse«; quin etiam termini illi stoici, quos Damasippus semper in ore habet, »insanire« de eis, qui vitiis indulgent, »sanus« de virtute praeditis, ab Horatio haud ita raro suo nomine usurpantur. (Sat. I. 2. 49; I. 4. 27; — I. 4 129; I. 5. 89.) Neque Davi servi sententiam stoicam, homines libidinosos servos esse suae libidinis prorsus reicit Horatius, docet enim neminem vera libertate frui, nisi qui sibi imperet,

Animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena. (Ep. I. 2. 63/64);

avarumque non meliorem esse servo.

Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem
Non video. (Ep. I. 16. 63/64.)

Atque etiam hoc Stoicorum *παράδοξον,* omnia peccata aequalia esse, quodam modo verum esse censet, cum dicit magnum furtum non minus facinus esse quam parvum:

Nam de mille fabae modiis cum surripis unum,
Damnum, non facinus mihi pacto lenius isto. Ep. I. 16. 55/56.

Cum igitur Horatius tam incorruptus judex stoicae disciplinae sit, ut etiam ex Stoicorum, »paradoxis« veri aliquid elicere studeat, quis est, qui miretur eum pulchras et praeclaras sententias Stoicorum in suum usum convertere, ut has:

Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt. (C. III. 24. 25.)

Oderunt peccare boni virtutis amore. (Ep. I. 16. 52.)

Dulce et decorum est pro patria mori. (C. III. 2. 13.)

Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae. (C. III. 3. 1/8.)

Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae. (C. III. 2. 17. sqq.)

Vidimus igitur Horatium tantum a Stoicis abhorrere, quod illi a vera ratione abhorreant omnemque modum transeant, sed cum eis consentire in omnibus rebus, quae cum judicio sano congruant.

Neque aliter Horatius in Epicureos se gessit atque in Stoicos. Nam Epicureos illos qui operam summam impendebant epulis, compotationibus, rebus venereis, aliis voluptatibus, in, eisque rebus summam vitae felicitatem consistere non bene Epicuri doctrina perspecta judicabant, non minus carpit poeta quam Stoicos istos ridiculos. In quibus Catius referendus est, qui Epicureus rei culinariae studiosissimus praecepta de rebus id genus, quae modo audiverat cum Horatio communicabat, quasi essent maximi momenti et ob id ipsum, quod res tam leves, tam graviter profert, ab eo irridetur. Licet hoc loco etiam proferre Nasidienum quendam, qui, quamquam non Epicuri sectator fuisse dicitur, tamen morem abjectorum illorum Epicureorum secutus est. Dabat enim coenam in honorem Maecenatis ea de causa, ut divitias suas, magnificentiam, elegantiam, intellegentiam ostentaret, sed operam miserrime perdidit, quod eum humanitas et eruditio deficiebant. (Sat. II. 8.) Neque vero ex narratiuncula, quae est de muribus rustico et urbano, qua demonstratur, murem urbanum, qui Epicuri more vitam degat, turpiter et infeliciter vivere, non perspicitur Horatium minime cum eis fecisse, qui in victu quam lautissimo veram vitae felicitatem positam esse crederent. Itaque si Horatius ipse se »Epicuri de grege porcum« appellat (Ep. I. 4. 15.) et dicit se Bestii, edacis illius et inconstantis hominis, rationem sequi solere:

> Nimirum hic ego sum, nam tuta et parvula laudo,
> Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis
> Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
> Vos sapere et solos ajo bene vivere, quorum
> Conspicitur nitidis fundata pecunia villis. (Ep. I. 15. 42/46.)

cum per jocum, non serio loqui manifestum est.

Sed homines vere Epicureos non modo non reprehendit Horatius, sed etiam sententias eorum pleraque veras esse persuasum habet. Imprimis comprobat, quod Epicurus sentit, suam quemque naturam suaque studia in vita sequi debere,

> Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. (Ep. I. 7. 98.)
> Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem. (Ep. I. 14. 44.)

in latenter ruri vivendo plus inveniri delectationis quam in urbana vita (Ep. I. 1. 10.), omnes rei publicae honores spernendos esse (Sat. I. 6. 100—131. Ep. I. 6. 49/55.)

> Nam neque divitibus contingunt gaudia solis
> Nec vixit male qui natus moriensque fefellit. (Ep. 17. 9/10.)

amicitiam omnium humanarum societatum plurimi aestimandam.

> Nil ego contulerim jucunde sanus amico. (Sat. I. 5. 44.)

Redolent Epicuream philosophiam etiam multa levia illa quidem carmina, sed tamen praeclara, in quibus Horatius ob aetatis brevitatem mortemque instantem, ut vita fruamur, adhortatur. (Epod. 13; C. I. 11; C. II. 3; 11; C. IV. 7. —)

Sed quo accuratius cognoscamus, quid hauserit Horatius ex Epicureorum et Stoicorum scriptis, et quibus in rebus cum eis consentiat, quibus discrepet, non alienum videtur Horatii sententias et de rebus physicis et de rebus ethicis afferre et cum Stoicorum et Epicureorum sententiis comparare. Recognoscamus igitur sextae epistulae vv. 3—5:

»Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent.«

Quibus verbis significat Horatius eos, qui horrorem caelestium miraculorum ingenio suo et doctrina quadam superaverint, Epicureos. Hi enim statuebant solem, lunam, stellas, alias res caelestes nihil aliud esse nisi corpora naturalia viresque natura ortas, qua doctrina studebant homines a superstitione et formidine liberare; neque dubitari potest, quin poeta censuerit recte eos sentire; id quod e nexu sententiarum facile intellegitur. Idem in ea re consentit cum Epicuro, quod miracula et vaticinia nihili aestimat. Gnatium enim sibi risus jocosque dedisse memorat,

Dum flamma sine thure liquescere limine sacro
Persuadere cupit. (Sat. I. 5. 99.)

Deridet praeterea sortilegam quandam, quae ipsi puero haec cecinerit:

Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
Nec laterum dolor aut tussis aut tarda podagra.
Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas. (Sat. I. 9 30—34.)

Alio loco aperte profitetur Horatius in eo omnibus elaborandum esse, ut somnia, terrores magicos, miracula, sagas, nocturnos lemures portentaque Thessala contemnant et rideant. (Ep. II. 2. 208/209.)

Quid, quod Apollinis artem vaticinandi irridet, cum Tiresiam inducit responsa sua sic affirmantem:

Quidquid dicam aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. (Sat. II. 5. 59.)

Eodem modo Epicurum secutus est Horatius in eis, quae de generis humani procreatione et ad perfectionem progressione sensit multaque ex Lucretii carmine, clarissimi illius Epicureorum poetae, est mutuatus. Illo enim auctore homines ex sordibus primarum terrarum ortos docet instar animalium turpissime vixisse:

Cum prorepserunt primis animalia terris
Mutum et turpe pecus. (Sat. I. 3. 99.)

bellum omnes gessisse in omnes unguibus, fustibus, pugnis, deinde armis aeneis et ferreis:

Unguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus. (Sat. I. 3. 101.)

venereque sine connubio stabili esse usos libidinose:

Quos venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat ut in grege taurus. (Sat. I. 3. 109.) [1]

Aliter autem judicat de origine sermonis ac Lucretius Epicurusque, qui docebant eum ortum esse **„φύσει“**, natura, hominisque proprium esse loqui non minus quam canis latrare equive hinnire, neque linguam hominum a bestiarum vocibus differre nisi varietate et multitudine sonorum, cum ex Horatii sententia sermo sit res excogitata atque inventa. (Sat I. 1. 100 et 103/104.)

Sed quod hac priscorum hominum descriptione demonstrare studet jura non orta sed inventa, non **„φύσει“** sed **„θέσει“** constituta esse, ea etiam Lucretii videtur fuisse sententia, certe Epicuri est, cum Stoici doceant:

τὸ δίκαιον φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει. —

[1]) Lucr. d. r. n. V, 932 u. 56. 1283, 959.

Aliis locis *„εἰρωνείαν“* quandam adhibet in problematis physicis disserendis. Sunt qui eum leviter irridere putent studia rerum physicarum in C. I. 28. 4/6:

Nec quidquam tibi prodest
Aetherias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro.

at ab ejus carminis ratione videtur abhorrere irrisio, jocatur autem poeta procul dubio de illis studiis in decima libri primi epistula, ubi haec verba inveniuntur:

»Quae mare compescant causae, quid temperet annum,
Stellae sponte sua, jussaene vagentur et errent,
Quid premat obscurum lunae, quid proferat annum,
Quid velit et possit rerum concordia discors,
Empedocles an Stertinium deliret acumen«

id quod ex mira conjunctione verborum »concordia discors« et ex nomine Stertinio hic allato quem aliis locis saepe deridet, perspicitur.

Itaque non multum aberraverimus a recta via, si nobiscum reputantes Horatium strictim tantum de rebus physicis et »ironice« interdum loqui, eum quaestiones physicas parvi fecisse ponemus. Ex eis autem, quae attulimus, intellegitur eum, si non in omnibus, at certe in plurimis rebus physicis Epicurum Lucretiumque secutum esse. Neque minus Epicureorum sententias redolent, quae de anima humana statuit. Constat enim Epicurum docere mundum universum, animas non minus quam corpora, ex »atomis« constare, quae si certo quodam modo côngregentur, vitam et sensum existere oportere, si dissolvantur vitam et omnem sensum exstingui; eaque de causa mortem nobis non esse timendum, nam sensum in ea non esse. D. L. X. 139: **Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ · τὸ δ' ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.** Sic Horatius quoque censet immortalitatem nullam esse atque morte et corpus et animum deleri. Neque multi illi loci, quibus mentionem facit rerum ad inferos pertinentium, huic sententiae repugnant. Nam etsi commemorat domum exilem Plutoniam, (C. I. 4. 16.) Mercurium **ψυχοπομπόν,** (C. I. 10, 16; et I. 24. 11/12.) Charontis navem, (C. II. 3. 20) sollemne et splendidum Minois judicium, (C. IV. 7. 21.) »seraque fata, quae manent culpas etiam sub Orco«, (C. III. 11. 26.), tamen facile ex his locis recte explicatis cognosci potest eum omnibus rebus ejusmodi nullam aliam nisi poeticam vim attribuere; id quod etiam clarius eo perspicitur, quod nihil ex illis rebus desumit ad consolandos hominum animos. Scilicet Vergilio, ut unum exemplum afferam, qui de morte Quinitilii supra modum querebatur, dixisset, nihil esse, quod tantopere lugeret, cum a mortuo in breve tempus separatus esset eumque post vitam exactam esset reperturus in altero quodam mundo. Sed quid ei revera solatii praebet?

Durum, sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas. (C. I. 24. 19/20.)

Apertissime autem e carmine septimo libri quarti perspicitur Horatium immortalitatem nullam esse censuisse, in quo haec fere verba inveniuntur:

Vere appropinquante gramina campis arboribusque comae redeunt et frigora Zephyris mitescunt, paullo post aestas ver proterit, sed etiam illam interire oportet, simul atque adoleverit autumnus; post eum bruma iners recurrit, sed tota illa mundi vita et forma usque renovatur:

Damna tamen celeres reparant coelestia lunae. (C. IV. 7. 1.3)

hominum autem condicio diversa est, homines vitae restitui nunquam possunt:

Nos ubi decidimus
Quo pater Aeneas, quo divus Tullus et Ancus
Pulvis et umbra sumus. (C. IV. 7. 14/16.)

Horatius igitur, si in carminibus immortalitatem quandam significat, non cogitat de vita post mortem futura, sed de perpetua apud posteros fama, quam sint inventuri viri insignes, qui quidem a poetis celebrati sint, non qui caruerint vate sacro, nam:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte carent quia vate sacro. (C. IV. 9. 25.)

et

Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?

sed »dignum laude virum Musa vetat mori« (C. IV. 8. 82.)

Quae res cum ita se habeat, poetae qui carminibus viris egregiis immortalitatem comparant, ipsi quoque immortales fiunt, nam quamdiu carmina manebunt — sunt autem »monumenta aere perenniora« — tam diu etiam nomina eorum commemorabuntur, qui carmina fecerunt.

Qua re non sine causa Horatius sperat se ipsum immortalem, i. e. in memoria posterorum futurum:

Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocant,
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda. (C. II. 20 5/8.)
Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex. (C. III. 30. 6/9.)

Quo factum est, ut etiam honores sepulcri contemneret et supervacuos esse judicaret:

Compesce clamorem et sepulcri
Mitte supervacuos honores. (C. II. 20. 23/24.)

Jam vero transeamus ad sententias Horatii de deis cognoscendas. Ac primum quidem quaerendum est, quid Horatius de religione volgari senserit. Mihi autem videtur poeta neque in eis referendus, qui opiniones de religione volgares comprobabant, neque in eis, qui eas plane reiciebant, sed in eis, qui religionem volgarem, quamquam eam falsam esse persuasum habebant, tamen civibus commendandam esse arbitrabantur, quippe quae ad mores coercendos honestatemque retinendam admodum utilis et salutaris esset. Itaque non mirum est Horatium sententias de deis volgares non modo non impugnare, sed sua quoque assensione tutari.

Permultis enim locis commemorat poeta Jovem, Apollinem, Dianam, Venerem; multis Minervam, Mercurium, Mavortem, Junonem, Vestam, Cererem, Neptunum, Volcanum; neque minus deos silvae et campi, ut Faunum et Silvanum, tutores domus et familiae, Lares et Penates, deum humanae vitae, Genium, ex opinione volgi veneratur. Pari modo Horatius volgi morem sequitur in precibus sacrificiisque faciendis et in festis diebus celebrandis. Inveniuntur preces Horatii in C. I. 34 et Ep. I. 18; et ex C. I. 4, I. 8, I. 36, III, 8, III 13, III. 18. perspicitur eum non solum ipsum sacrificia fecisse, sed etiam alios ad ea facienda hortatum esse; ex C. III. 29 festos dies eum non neglexisse. Huc accedit, quod hymnos in singulorum deorum honorem composuit: in honorem Mercurii C. I. 11 et III. 11; Apollinis Dianaeque C. I. 21; Bacchi C. II. 19 et III. 25; Fortunae C. I. 35; etiam praeclarum illud carmen saeculare huc pertinet. Quin etiam sententias quasdam de rebus divinis corrigebat et emendabat, ad quod

faciendum nemo contemptor religionis aggreditur. Ut unum exemplum afferam, deos magnitudinem sacrificii sibi oblati non respicere, sed mentem docet, ex qua datum sit, Phidylamque de exiguitate sacrificii sui sollicitam his verbis consolatur:

Immunis aram si tetigit manus
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos penates
Farre pio et saliente mica. (C. III, 23. 17/20.)

Nihilo tamen secius certum est Horatium volgi de deis opiniones falsas esse censuisse, — nam quis doctus id aetatis fuit, quin id fecerit? — Non minus autem certum est eum non a partibus illorum stetisse, qui deos esse negarent: »denn dazu besass er, gerade auch, weil er lyrischer Dichter war, zu viel Gemüth, zu viel inneres Leben, zu viel Phantasie.« (Horaz als Mensch und Dichter von Weber p. 216.)

Sed difficillimum est e carminibus Horatii enucleare sinceras ejus de deis sententias. Videtur autem censuisse »unum esse deum, qui res hominum ac deorum, qui mare ac terras variisque mundum temperet horis« (C. I. 12. 13.) »patrem atque custodem gentis humanae«, (C. I. 12. 49.) »regem regum«, (C. III. 4, 46.)

»Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.« —

Quodsi commemorat Minervam, quae proximos Jovi honores occupaverit, (C. I. 12. 19, III. 3. 57.) cave putes eum alterum exstare numen credidisse, nam nihil aliud significat poeta nomine illius deae nisi sapientiam et providentiam Jovis. Sic alia quoque numina, quae poeta affert, interpretari licet alias Jovis virtutes. Quare si commemorantur dei a poeta, neque exprimunt proprietatem quandam Jovis — id quod equidem minime negaverim — verisimile est Horatium eos nullos esse credidisse. Sed deus ille unicus, Juppiter optimus maximus, ex Horatii sententia non securum agit aevum, sed consulit omnibus rebus, praemioque afficit eas civitates, quae eum et cum pietate et cum honestate colunt, poena, quae eum neglegunt:

Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae. (C. III. 6. 8/9.)

Itaque vult Horatius pietatem restitui Romanae civitati adjuvatque consilium Octaviani aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas reficiendi. (C. II. 15; III. 6.) Neque singulos homines neglegit Juppiter, impios enim punit:

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. (C. III. 1. 16/ 21.) (cf. C. III. 6. 45 sqq.)

atque scelestum ita non impunitum dimittit, ut etiam innocentem, qui una est cum illo, simul cum scelesto perdat:

— »saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo.« (C. III. 2. 29.)

pios autem et honestos vita secura et felici donat:

»Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.« (C. I. 22. 1—4.) (cf. C. I. 17. 13, et C. III. 4. 9 sqq.)

Cum qua sententia pugnare videtur hic versus:

»Namque deos didici securum agere aevum« (S. I. 5. 101.)

qui et sententiis et verbis cum versu quodam Lucretii V, 82, repetito VI, 86, congruit; quo usus dixerit fortasse quispiam Horatium Lucretium Epicurumque secutum putasse providentiam nullam esse. Quae sententia recte explicato hoc loco refellitur. Nam si nexum sententiarum respicimus, videmus poetam tantum ea de causa versum lucretianum afferre, ut demonstret deos leges naturae non mutare nec »si quid miri faciat natura, id ex alto caeli tecto demittere.« Itaque cum verba »deos securum agere aevum« tantum ad leges naturae referenda sint, non ad res civitatum et hominum, in quibus gubernandis ex Horatii sententia providentia posita est, perperam ei judicant, qui ex illis verbis concludunt Horatium deos supersedere gubernatione omnium rerum credidisse. —

Neque eis assentiri possumus, qui nixi primis carminis I, 34 versibus:

»Parcus deorum cultor et infrequens
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos«

dicunt Horatium usque ad id tempus, quo illud carmen compositum sit, omnem religionem contempsisse.

Nam quamquam negari non potest, quam sapientiam poeta hic dicit, eandem Epicuri rationem esse, tamen, cum in eis carminibus, quae ante hoc carmen composita sunt, i. e. ante 729 vel 730, (cf. Franke, »fasti horatiani,« Baiter, Duentzer) pietatem suam et fidem saepe profiteatur, prodierunt enim ex sententia doctorum sex illa carmina tertii libri annis: 725—728; C. I. 12: 727; Epod. XIII: 721—723, manifestum est Horatium per brevissimum tempus, per unum vel duos annos, sententias de deis Epicureas comprobasse. —

Restat igitur, ut de cultu heroum quid senserit Horatius, explicemus. Heroes enim ex eius sententia non cum deis aequiparandi sunt. Nam heroes nihil aliud nisi homines praestantes fuerunt, qui propter merita sua mortui in caelum recepti et tanquam dei culti sunt. Hoc modo Romulus, Aeacus, Hercules, Castor et Pollux, Bacchus invenerunt divinitatem immortalitemque. (C. IV. 8; C. III. 3. 9 sqq.)

Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux
Post ingentia facta deorum in templa recepti
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes
Infra se positas, exstinctus amabitur idem. (Ep. II. 1. 5 sqq.)

Sed cum morte non solum corpus, verum etiam animus deleatur, illam venerationem adirritum cadere heroesque nihil eius sentire posse certum est. Quare alia via est ingredienda, si quando vir existat heroum similis; non mortuus, sed vivens egregiis est afficiendus honoribus. Itaque Horatius persuasum habet Augustum auxiliatorem illum et restitutorem patriae.

Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum (C. IV. 2. 37.) (cf. Ep. II. 1. 17. C. IV. 5. 17 sqq.)

recte heroum instar coli. Probat igitur Horatius aras a Romanis Augusto positas esse:

Praesenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per numen ponimus aras. (Ep. II. 1. 15.)

laudat eos, qui Augusti numen Laribus admiscebant eumque mero pateris defuso prosequebantur, (C. IV. 5. 53.) aequiperat Augustum cum Polluce, Hercule, Romulo, Baccho, (C. III. 3. 9.) quin etiam eum appellat Mercurium oratque, ut serus in caelum redeat. (C. I. 2.)

At cum Iuppiter Horatio unicus fuerit deus, dicere poterat, neque crimine adulationis accusandus est, Augustum et vivum deum esse et mortuum in heroum numerum relatum iri (C. III. 25.). Ceterum non est neglegendum Horatium, quamquam Augustum heroum honoribus afficit, tamen aperte dicere Augustum quoque sub Iovis potestate atque imperio esse. (C. I. 12. 40 sqq., C. III. 1. 5/6.) [1]) Haec de ea re sufficiant.

Perlustratis igitur Horatii sententiis invenimus eum sententias volgares non comprobare, sed tamen benevole accipere, qua in re cum Epicuro maxime discrepat dicente impium esse non eum, qui tollat multitudinis deos, sed qui deis opiniones multitudinis applicet, *Ἀσεβὴς δ' οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας προσάπτων.* (D. L. X. 124.) cum Stoicis contra consentit, qui item religionem volgarem magni aestimabant. Contra vestigium nullum apud Horatium invenitur rationis Stoicorum demonstrandi religionem volgarem ac philosophiam eadem docere.

Redolent porro Stoicorum sententias, quae Horatius de providentia, gubernatione, de deo omnipotente statuit; in eis autem, quae de cultu heroum dicit, a partibus Epicureorum stare putandus est, comprobat enim Euhemeri Epicurei de ea re sententias. Sed Horatius in omnibus illis rebus, in quibus cum Zenone vel Epicuro facit, non tantopere cum eis consentit, ut eorum sectator judicari possit, immo suo ipse iudicio semper usus studet corrigere et emendare, quaecunque ei non recte esse dicta videntur. Itaque etiam in religionem cadit, quod dixit philosophiae ratione habita:

Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas deferor hospes.

Iam vero transeamus ad sententias ethicas Horatii cognoscendas. Ac facile quidem intellegi potest eum summum bonum in »aequo animo«, (Ep. I. 1. 30; I. 18. 112; I. 6. 15.) in aequa mente (C. II. 3. 1.), in otio (C. II. 16. 1.)[2]) positum esse censuisse, summum malum in animo curis et affectibus perturbato. Aequus autem animus est e sententia Horatii timore cupiditate, (Ep. I. 2. 51; I. 16. 63.) gaudio dolore vacuus. (Ep. I. 6. 12). Inde efficitur eis, qui aequitatem animi sibi conciliare cupiant, id agendum esse, ut se illis affectibus, qui fontes sint omnis miseriae, liberent; nam:

— leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert. (C. II. 16. 15/16.)

---

[1]) Kirchhoff, Stellung des Horaz zur Philosophie. Progr. des Gymn. Joseph. zu Hildesheim 1873. p. 13.
[2]) Werner, Quaestiones horatianae p. 31.

Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus et res
Ut lippum pictae tabulae. (Ep. I. 2. 51 sqq.)

— qui cupiet, metuet quoque, porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam. (Ep. I. 16. 65/66.)

Etenim cui contigerit, ut animum suum solvat omnibus perturbationibus, is vera fruetur vitae felicitate, cum nulla alia felicitas exstet, nisi quae in aequitate animi posita sit. Itaque quaerendum est, quomodo id assequi possimus, ut affectibus nos liberemus. Respondet Horatius: si eas res reicimus, quae curas et angores augent, eas autem sumimus, quibus sollicitudinibus animi levantur. Reiciendum igitur est nimium studium divitiarum, quod Romani supra modum sequebantur. Omnibus enim aliis rebus pecuniam anteponebant:

O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos, haec Janus summus ab imo
Prodocet, haec recinunt juvenes dictata senesque. (Ep. I. 1. 53/55.)

Itaque adibant summa ad opes coacervandas pericula. (C. I. 1. 15. 65; I. 31. 11/13; etc.) Nonnulli etiam, ut divitias quam celerrime sibi compararent, nummos in fenore ponebant. (Sat. I. 2. 12.) Neque deerant, qui aut astute testamenta senum venarentur dolis, artificiis, insidiis (Sat. II. 5.) aut turpissime pecuniam quaererent perjurando, auferendo, homicidiis faciendis, parricidiis committendis. (Sat. II. 3. 25 sqq.) Sed omnes illos homines, qui divitiis immodice studerent, ratos in eis felicitatem positam esse, vehementer errare facile intellegi potest, nam: »pecunia naturam mutare nescit« (Ep. I. 12. 10.) perturbationesque animi divitiis non repelluntur:

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantes. (C. II. 16. 9/12.)

immo augentur opibus cupiditates et:

»Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumque fames. (C. III. 16. 17/18.)«

— quanto plura parasti, tanto plura cupis. (Ep. II. 2. 147.)

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor. (C. II. 2. 13/16.)

Pertinet huc etiam, quod poeta (Sat. I. 1. 76.) dicit:

An vigilare metu exanimem noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat?

Itaque cum fontes miseriae pecunia non claudantur, sed aperiantur, non id spectandum est, ut opes nostras augeamus, sed ut cupiditates coerceamus:

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas et uterque Poenus
Serviat uni. (C. II. 2. 9/12.)

Horatius igitur, cum suo ipse exemplo veras esse has sententias demonstrare studeat, prae se fert paupertatem divitiis multo praestare divitumque partibus relictis pauperem fieri se gestire.

— nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptae dominus splendidior rei
Quam si quidquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops. (cf. C. III. 29. 52 sqq.; Ep. I. 18. 107; C. II. 18.)

Multi praeterea loci inveniuntur, quibus poeta continentiam et paupertatem in caelum tollit civibusque persuadet, ut quaestu ingenti divitiarum neglecta sorte mediocri contenti vivant.

Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi,
Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas. (C. III. 1. 25/32.).

Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet. (Ep. I. 12. 4.)

— bene est, cui deus obtulit,
Parca quod satis est manu. (C. III. 16. 43/44.)

Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus. (Ep. I. 1. 4.)

Eodem modo quo nimia quaerendae pecuniae cupiditas, etiam profusio et sordes evitanda sunt. Nam profusi et sordidi doleant necesse est. Quod ut clarius demonstret Horatius, exemplum patris sui secutus nobis ante oculos ponit viros quosdam his vitiis laborantes; ut Nomentanum, qui mille talenta patrimonii accepti hominibus improbis diviserat (Sat. II. 3. 226 sqq.); filium Aesopi, qui absorbuerat bacam pretiosam aceto dilutam (Sat. II. 2 239 sqq.); progeniem Quinti Arri, »par nobile fratrum«, qui luscinias permagno coemptas edere solebant (Sat. II. 3. 243 sqq.). Neque minore studio in sordidos invehitur. Avidienum enim carpit, qui, quamvis abundaret auro et argento, tamen divitiis suis tantopere parcebat, ut quinquennes oleas et silvestria corna ederet ac nullum vinum defunderet nisi mutatum (Sat. II. 2. 55 sqq.). Nattam, qui olivo ungebatur lucernis fraudatis (Sat. I. 6. 123 sqq.); Opimium, qui lethargo oppressus tamen nolebat ptisanarium oryzae octussibus emere, quamquam eo solo cibo e morte eripi poterat (Sat. II. 3. 142 sqq.), multos alios id genus.

Sed cur prodigi tam stulte divitias effundunt? Assequi student admirationem hominum quorundam infimi generis. At ut in illa admiratione aliquid voluptatis vel felicitatis insit, tamen facile est intellectu eam voluptatem per brevissimum tempus mansuram. Nam divitiae quamvis magnae effusione celerrime exhauriuntur, quo facto inopia gravissima existat necesse est. Ita ex voluptate vana summus d o l o r oritur.

Sordidis autem non minus dolendum est; omnibus enim sapientibus contemptui sunt, vicinis odio, familiaribus taedio:

Non uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae,
Miraris, cum tu argento post omnia ponis,
Si nemo praestet quem non merearis amorem? (Sat. I. 1. 84.)

Sicut autem aviditas pecuniae, effusio, sordes pro felicitate calamitatem afferunt, ita etiam nimia in edendo et potando heluatio et luxuria nihil boni, sed multum mali in sese habet. Corpus enim animusque heluonis languescit et »pinguis vitiis«, quem neque »scarus neque lagois« neque ullus alius cibus juvare potest, procul dubio in miseris referendus est. Nam cibus et potio instituta sunt, ut eis depellamus et famem et sitim corroboremusque vires corporis animique, ad quam rem viles cibi sufficiunt. Sed Horatius concedit voluptatem, quae in edendo et bibendo posita sit, augere, non more heluonum cibis pretiosis additis, sed fame aucta et siti. Hortatur igitur cives, ut vel venatione et equitatione vel pilae et disci ludo vel similibus rebus famem et sitim colligerent, tum eos ex vilissimis cibis et potionibus maiorem voluptatem capturos esse, quam heluones ex pretiosissimis.

— Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere
Sudando. (Sat. II. 2. 19/21.)

Ceterum non sordidum victum commendat, sed simplicem; et ut planius demonstret, quomodo cibis utendum sit eis, qui recte vivere cupiant, Ofelli cuiusdam nobis exemplum ante oculos ponit, quem puer parvus cognoverat. Qui dum possessione agelli locuples erat, in prospera fortuna abstinuerat cibis raris et pretiosis:

Non ego . . . . temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
Ac mihi seu longum post tempus venerat hospes
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque haedo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu. cet. (Sat. II. 2. 116 sqq.)

Idem cum expulsus esset agello et ex possessore colonus factus, non parcius vivebat quam antea; commutatio igitur fortunae nulla victus commutatio fuit, et ipse et pueri viguerunt eodem modo quo antea:

Quanto aut ego parcius aut vos
O pueri nituistis, ut huc novus incola venit? (Sat. II. 2. 127/128.)

Sicut igitur Ofellus continentia et parsimonia animum aptum reddidit ad vicissitudinem fortunae ferendam, ita etiam nos agere oportet:

Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus. (Sat. II. 2. 135/136.)

Aliud genus voluptatis in secunda libri prioris satira carpit. Postquam enim exposuit stultos dum vitarent vitia in contraria incidere et eius rei varia proposuit exempla, pervenit ad deridendos scortatores; imprimis dementiam moechorum matronarum proponit, cum multae inveniantur res, quae impediant, quominus homines tales assequantur ea quae velint; (Sat. I. 2. 96 sqq.) sed etiamsi difficultatibus superatis voluptas eis contingat, tamen eam multo corrumpi labore:

Hic se praecipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem caesus, fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos. (Sat. I. 2. 40/43 et 128/134.)

Aliis vero locis adulterium non modo stultum, sed etiam perniciosum esse aperte dicit:

Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos.
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit. (C. VI. 3. 16/21).

Quin etiam populos feros sed castos populo romano imitandos proposuit:

Dos est magna parentium
Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas. (C. III. 24. 21 sqq.)

et leges, quibus Augustus castitatem civibus restituere studebat, praeclaris celebrat verbis. (C. IV. 5. 20 sqq.; IV. 15. 9/12.)

Sed quamquam matrimonii sanctitatem violare abjecti hominis esse judicavit, tamen non prorsus reiecit res venereas, quibus reiectis persuasum habebat naturam dolere. Ipse igitur multas puellas e genere libertinarum amavit, Lalagen, Lycoridem, Lydiam, Pyrrham, Chloen, Neaeram, Damalidem, Cynaram, Tyndaridem, Phyllidem, alias. Sed ut non dehortatur ab amoribus libertinarum, ita monet, ne nimis venereis rebus indulgeamus, cum facile fieri possit, ut hoc modo bonam deperdamus famam remque patris oblimemus:

Bonam deperdere famam
Rem patris oblimare malum est ubicunque. (Sat I 2. 61/62.)

neve difficultates de industria in eis rebus quaeramus, (Sat. I. 2. 105 sqq.) sed ut suum ipsius exemplum sequamur dicentis:

»Namque parabilem amo venerem facilemque«.

Iam vero pervestigemus, quid Horatius de studio nimio honorum senserit. Iudicat autem poeta honorum nimis ardens studium stultum esse; cum honoribus enim invidiam accrescere, odium, curas, honoratosque semper summis in periculis versari:

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes. (C. IV. 10. 9/12.)

Quae res cum ita se habeat, non cum eis facit, qui ad altiora quam justum est, nituntur, sed »jure perhorruit late conspicuum tollere verticem«; (C. III. 16. 18.) vitamque degit liberam mi sera gravique ambitione, atque beatius vixit, quam si »quaestor avus pater atque suus patruusque fuisset«. (Sat. I. 6. 129/130.) Irridet igitur eos, qui turpiter cum hominibus infimis familiaritatis imaginem simulent, ut eorum auxilio honores expetitos assequantur; nam nemo iocum in his verbis non perspicit:

Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextrum
Porrigere: hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet hic fasces dabit eripietque curule
Cui volet importunus ebur. Frater, pater adde.
Ut cuiquam est aetas, ita quemque facetus adopta. cet. (Ep. I. 6. 51/55.)

Itaque monet Horatius:

Laetus sorte tua vives sapienter. (Ep. I. 10. 44.)

. . . . Fuge magna, licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos. (Ep. I. 10. 33.)

Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui vivens moriensque fefellit. (Ep. I. 17. 9/10; cf. C. II. 18.)

Quoniam permultis locis studium tam volgare divitiarum, voluptatum, honorum Horatium improbare docuimus, restat ut alia vitia ab eo non prorsus neglecta esse ostendamus. Dehortatur enim ab invidia his versibus:

Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. (Ep. I. 2. 52/58. cf. C. II. 10. 5—13; C. III. 1. 45.)

ab ira:

Ira furor brevis est, qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit ac mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto. (Ep. II. 2. 82.)

ab asperitate:

Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas dici mera veraque virtus. (Ep. I. 18. 6—8.)

ab adulatione scurrili:

Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus. (Ep. I. 18. 10/11.)

a calumnia:

. . . . Absentem, qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante.
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto. (Sat. I. 4. 81/85. cf. 96 sqq.)

a pietatis simulatione, cum perversitatem huius vitii exemplo illustrat:

Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
Iane pater, clare, clare cum dixit Apollo,
Labra movet metuens audiri: pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,
Noctem peccatis et fraudibus obice numen. (Ep. I. 16. 62 sqq.)

ab amore sui hoc versu:

Stultus et improbus hic amor est dignusque notari. (Sat. I. III. 24.)

tertiaque prioris libri satira praecipue id spectat, ut communis illa perversitas hominum exagitetur, qua propria vitia neglegant summaque indulgentia foveant, aliorum, imprimis amicorum sedulo inquirant atque acerbe reprehendant et castigent.

ab inconstantia, moribus ridiculis hominum talium prolatis:

Est aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes
Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis.
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri: cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium. Cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri.
Quid pauper? ride, mutat coenacula, lectos,
Balnea tonsores, conducto navigio aeque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis. (Ep. I. 1. 81/93. cf. Sat. I. 3. 1—8; 2. 159.)

Neque inertia, furor amatorum, vinulentia ab eo negleguntur. (Ep. I. 1. 38/39.)

Quodsi omnes illos locos, quibus vitia hominum percenset, perlustraverimus, inveniemus Horatium eam rationem secutum esse, ut demonstraret, omnem vitiositatem esse stultitiam, omnes vitiosos stultos. Nam persuasum habebat eos, qui stulte se agere intellegerent, facere non posse, quin stultitiam suam, i. e. vitia sua deponerent. E sapientia igitur necessario virtus oritur, sapientia enim est cognitio stultitiae vitiorum, virtus vitatio, quae ex cognitione illa existat necesse est:

Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. (Ep, I. 1. 41/42.)

Quae res cum ita se habeat, facile perspicitur tantum sapientes et virtute praeditos sive vitiis vacuos veram vitae felicitatem invenire posse, cum tantum ei, qui vitiis vacent, angoribus illis animi cupiditate timore gaudio dolore, qui e vitiis oriantur necessario, liberentur.

. . . ratio ac prudentia curas aufert. (Ep. I. 11. 25.)
Neve putes alium sapiente bonoque beatum. (Ep. I. 16. 3.).

Sed quamquam manifestum est neminem sapientiae praeceptis neglectis bene beateque vivere posse, tamen est difficillimum homines turpibus rebus assuefactos adducere, ut »culturae patientes commodent aures« virtutique operam dent. Itaque si quis felicitatem sibi comparare vult, illum a puero rebus honestis assuescere oportet:

. . . . sapere aude
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam
Rusticus exspectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum. (Ep. I, 2. 41/43.)

Sed cavebit ille, ne in studio virtutis nimius sit, nam sicut in omnibus rebus modus quidam servandus est, sic etiam in virtute petenda:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere verum. (Sat. I. 1. 106/108.)

scilicet quod omne nimium studium animum quodammodo perturbat.
Qua re non sine causa docet Horatius:

Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam. (Ep. I. 6. 16; cf. Ep. I. 2. 70/71.)

Quamquam autem haud ita celeriter progreditur quivis virtutis studiosus eique raro contingit, ut totam eam amplectatur, tamen longe superat omnes, qui a studio illo prorsus alieni sunt:

Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. (Ep. I. 1. 32.)

In dies enim amplius vitia, quibus natura sua mendosa sit, deponere atque animum domare discet, qui si imperat, totus vitae ordo confunditur. Qua re monet Horatius:

. . . . Animum rege, qui nisi paret
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena. (Ep. I. 2. 62/63.)

Atque cum virtus in mediocritate quadam constet, ut Aristoteles dicit:

Ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα — μεσότης δὲ δύο κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολήν, τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν. (Eth. Nic. 2. 6.) id quod Horatius exprimit his verbis:

»Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum« (Ep. I. 18. 9.)

magis magisque assequetur ille sapientiae et virtutis studiosus, ut medium illud inveniat, medium inter avaritiam et luxuriam, inter voluptatum nimium studium et fugam, inter superbiam in felicitate et desperationem in calamitate (C. II. 10.), inter asperitatem et adulationem. (Ep. I. 18. 6.).

Praeterea plus cottidie impetrabit, ut omnia illa bona, quae hominibus a deis data sunt,

recte adhibeat; nam virtus est ars omnibus rebus recte utendi. Cum autem nullum maius bonum quam vita exstet, sapientis maxime interesse debet recte illa uti, id quod fit, si praesentis temporis fortuna fruitur.

Vita enim brevis est, mors celeriter appropinquat, pulsat pauperum tabernas regumque aedes nec pueris parcit nec senibus. (C. I. 4. 17/20; I. 24. 13/20; II. 3 25 sqq.; II. 13. 19/20; II. 14. 6; II. 18. 29/40; III. 1. 15 sqq. etc.).

Itaque non recte vivit, qui »dulcia in futurum tempus differt«, quo eum vivere incertum est, sed tantum is, qui gaudiis fruitur, quae ei offert hora praesens.

Sapiens carpet diem »dum res et aetas et sororum fila trium patiuntur« per totam vitam, praecipue autem adulescens, nam facultas fruendi summa est in adulescentia; (C. II. 9 13; I. 4; II. 3. 9; II. 6. 1; IV. 3. 10; I. 1. 30; I. 7. 12 cet.) neque sollicitudinibus praeteritarum rerum neque timore futurarum adeo perturbari potest, ut iucunditates praesentes neglegat, nam eruditione sua et sapientia animum aptum reddidit ad calamitatem quamlibet perferendam eumque liberavit omni nimia cura et nimio timore.

Vidimus igitur tantum eos, qui virtutem et unum et summum bonum esse censeant eamque semper petant, ad vitam beatam pervenire posse. Si quis vero in aliis rebus felicitatem consistere putat, in divitiis, honoribus, voluptatibus epularum, gaudiis amoris, vitamque suam ita temperat, ut has res acerrime petat, ille minime assequetur, quod vult; sed cupiditates, curas, dolores, i. e. miseriam suam in dies auget atque amplificat. (Ep. I. 6.)

Iam vero licet paucis quaestionem propositam, utrum Horatius Stoicorum an Epicureorum disciplinam sectatus sit, absolvere. Qua in re non solum discrepantia, verum etiam similitudo, quae inter duas illas sectas intercedit, est respicienda. Nam quamquam in eis, quae de »summo bono« statuunt, maxime Stoici ab Epicureis alieni sunt — ex Stoicorum sententia virtus, ex Epicuri voluptas plurimi aestimanda est, — id quod summo illo bono efficere student et Zeno et Epicurus unum idemque est: felicitas. Atque Zeno quidem docet hominem beatitudinem inventurum esse, si omnibus libidinibus liberatur, Epicurus, si neque internis, neque externis rebus amplius moveatur, ille commendat *ἀπάθειαν*, hic *ἀταραξίαν*. Itaque constat et e Zenonis et ex Epicuri sententia in aequitate animi vera vitae felicitas. Pari modo Horatius docet, communem illorum philosophorum sententiam amplexus, beatitudinem constare in tranquillitate animi, quam non consecuturi simus, nisi affectus perturbationesque mentis repellamus.

Summa autem inter Zenonis et Epicuri doctrinas discrepantia in eo inveniri potest, quod alter hortatur, ut sua quisque studia neglegat seque subiciat societatis cuiusdam communitati, velut reipublicae, ut virtutem per se quisque, non propter fructus, quos illa secum ferat, appetat, ut appetitus naturales plane reiciat, cum e contrario alter censeat, illum facillime beatum fieri posse, qui nullo publico munere fungatur nulliusque societatis particeps latenter cum amicis vivat suisque rebus studeat, qui virtutem non propter virtutem, sed propter fructus suos petat, qui appetitus a natura insitos non plane deleat, sed ita coerceat, ut neque animum doment neque perturbent. At id quidem facile intellegi potest Horatium in omnibus fere illis rebus Epicurum secutum esse. Adhortatur enim, quas adhortationes exemplo suo confirmat, omnes reipublicae honores spernendos esse, nullam hominum societatem nisi amicitiam amplectendum, ex suis cuique studiis vivendum, virtutem non per se sed per fructus suos petendam, appetitus naturales non plane opprimendos sed tamen contrahendos, ne animo noceant. Qua re si quis Horatium Epicureum fuisse dicat, non repugnaverim. Sed cum etiam praeclaras quasdam Stoicorum sententias comprobet idque quod ipse de summo bono statuit, magis redolet

Zenonis quam Epicuri doctrinam — nullo enim loco summum bonum in »voluptate«, multis locis in »virtute« ponit — cum rectius in numerum philosophorum eclecticorum, quos vocant, referas.

Iam videamus, quomodo factum sit, ut Horatius imprimis amplecteretur doctrinas Stoicorum et Epicureorum. Qua in re sequitur aetatis suae et populi romani ingenium. Constat enim populum romanum fuisse „πρακτικόν", ad agendum natum. Itaque cum studium philosophiae Romanos cepisset a. 155. a. Ch. n., quo tres illi philosophi Carneades, Critolaus, Diogenes primum Romae de philosophia verba faciebant, ea pars philosophiae maximo studio tractabatur, ex qua praecepta vitae recte degendae hauriri poterant, philosophia moralis, eaeque disciplinae, quae philosophiam ut ita dicam dissolvebant in philosophiam moralem, Zenonis et Epicuri. Neque mirum est Horatium Epicuro, qui moneat, ne accedamus ad munera publica magis favere quam Zenoni. Nam cum illis temporibus libera re publica sublata populus romanus unius imperio gubernaretur neque amplius liceret »mersari civilibus undis«, multi, in quibus etiam poeta erat, desciscebant a sententia illa a maioribus accepta, secundum quam homines nihili sunt nisi pro communi salute domi militiaeque labores suscipiunt.

Restat igitur, ut pauca de vitiis et de virtutibus philosophiae horatianae dicamus. Ac primum quidem in ea re mihi illa vituperanda videtur, quod ea vitia, quae nostrates »egoismum« et »quietismum«[1]) vocant, ex ea oriuntur; nam qui summum bonum affectat »iucunde vivendo« illo; qui otium nimium petit hoc vitio laborat. Itaque quamquam pectus nostrum bene praeparare possumus secundum praecepta illa Horatii ad alteram sortem perferendam, tamen raro ad res pro patria strenue agendas impellimur. Neque minus hoc mihi videtur reprehendendum esse, quod negatur immortalitatem ullam cogitari posse. — Verum enim vero multo plures insunt virtutes in philosophia horatiana. Nam ad veritatem dictum esse veram felicitatem eum invenire posse, qui ingenio suo et moribus excultis didicerit animum vitiis vacuum regere, sapientiam et virtutem hominibus fortunam, perversitates et libidines necessario calamitatem afferre, quis est qui neget? Quis porro non miratur egregia illa verba, quibus dehortatur Horatius et a studio tam volgari divitiarum, voluptatum, honorum et ab aliis vitiis? Quis denique non movetur praeclaris illis versibus, quibus persuadere studet, ut homines sorte sua contenti vivant? (cf. C. II. 18; C. III. 29.).

His verbis Kirchhoffii, qui praeclarissime de Horatio philosopho disputavit, disputatiunculam meam concludere liceat: »Sein oberstes Bestreben geht dahin den Menschen äusserlich frei zu machen, ihn sowohl den Leidenschaften seines eigenen Innern als der Aussenwelt gegenüber zur freien Selbstbestimmung, zur sittlichen Freiheit zu erheben. Ueberall führt er deshalb den Menschen aus der Aussenwelt in sich zurück und lehrt ihn in der schönen Harmonie eines gebildeten Geistes und eines in sich befriedigten Gemüthes das höchste Glück suchen und finden. Der Geist edler Menschlichkeit, der seine Lieder durchweht, wird ihnen für alle Zeit die Unsterblichkeit sichern.«

---

[1]) Kirchhoff l. a. p. 23.

Scrib. Colbergae a. CIↃIↃCCCLXXXI mens. Januario.

H. Weise.